

Lucas Bacmeister Lambert Langemack


Disputatio De Religionis Christianae Principio: Quodnam Illud Sit: Quibus contineatur libris: & Qualis ac Unde eius sit Auctoritas

Rostochii: Myliander, 1604

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771905963>

Druck Freier  Zugang





2. u. - Theol 1604 Bärmmeister, Lucas. 1
2. u. - Theol 1605 Bärmmeister, Lucas. 2

DISPUTATIO
DE RELIGIONIS
CHRISTIANAE PRINCI-
PIO: QUODNAM ILLUD SIT:

Quibus contineatur libris: & Qualis
ac Unde ejus sit Aucto-
ritas:

*Cujus assertiones Divina adjuvante gratia,
In Scholis Theologicis Academiae
Rostochiensis*


SUB PRÆSIDIO
M. LVCE BACMEISTERI, L. F.

S.S. Theologiae Professoris publici,

Respondendo tuebitur

LAMBERTVS LANGEMACIVS

*Ad diem 27. Octobr: in audito-
rio magno.*




ROSTOCHII

Ex Typographia Stephani Myliandri,

ANNO M. DC. IV.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher due to fading and paper texture.



DE RELIGIONIS CHRIS- TIANÆ PRINCIPIO.

THE SIS I.



E Locis Theologicis, seu articulis fidei Christiana deinceps per DEI gratiam publicis disputationibus ordine disquisituri, à loco de **VERBO DEI seu SCRIPTURA SACRA** merito ordimur.

II. Est enim is summum & unicum principium divina veritatis, Ioh. 17, v. 18. salutaris agnitionis Christi, & vita aeternæ Ioh. 5, v. 39. 2. Timoth. 3, v. 15. de quo etiam Paulus affirmat, quod super ejus fundamentum Ecclesia adificata & extructa sit, Eph. 2, v. 20.

III. Est quidem cognitio DEI prima & præcipua pars totius Christianæ sapientiæ, quam Theologiam vocamus: unde sicut ipse est primus ante omnia, sic ante omnia ab eo esse incipiendum, non male forsan aliquis colligat.

IV. Verum cum Theologia nihil aliud sit, quam doctrina Deum & omnia quæ in DEO & à DEO sunt, hoc est, cum essentiam & voluntatem, tum opera ipsius nobis expresso verbo patefaciens: & hoc verbum solum veram colendi DEI rationem præscribat, Exodi 20. v. 2. & seqq. Deuter. 4, v. 2. & 12, v. 32. Solum etiam divinæ voluntatis adferat notitiam. Deut. 7, 19. & hoc solo Ecclesia fidelium ad institutionem pietatis religiosè juxta præceptum Apostoli utatur, 2. Tim. 3, v. 16. & deniq; ex eo solo cum omnis Orthodoxia petatur & astruatur: è necesse est, ut si hæc doctrina verò destruat & refellatur: hinc adeò fit, ut corpus doctrinae Christianæ constituturi, à loco de verbo DEI seu scriptura sacra, tanquam principio ἀπὸ τοῦ λόγου τοῦ θεοῦ faciant initium.

A 2

V. Negs

V. Neq; enim vera & salutaris scientia, per quam ad DEI notitiam & salutis nostrae certitudinem deducimur, aliunde quam ex limpidissimis & purissimis fontibus Israël, Psal. 68, v. 27. qui sunt scriptura sacra, haurienda est. Ioh. 6, v. 58. 1. Timoth. 4, v. 15. 16. Rom. 1, v. 16.

VI. Quod & D. Augustinus agnovit, praeclare in hanc sententiam sermone 38. ad fratres in Eremo scribens. Eja, inquit, fratres mei, festinate rapere non sophismata paganorum, non carmina Poetarum, non fallacias Philosophorum, de quibus doctores & auditores aliquando rationem reddituri sunt, sed illam dulcissimam SAPIENTIAM SAPIENTIARUM, quae haereditas DEI, & fidelium eius cara possessio nominatur.

VII. Dicitur autem hoc religionis Christianae principium, VERBUM DEI seu SCRIPTURA SACRA CANONICA.

VIII. VERBUM quidem DEI, quia primum à DEO ipso profectum, & patefactum est Patribus in veteri Testamento: quamvis πολυμερῶς καὶ πλουτέῳως Num. 12. v. 6. & 7. Hebr. 1, v. 1.

IX. Ille enim inde à mundi primordijs ex arcana sua sede prodiens, essentiam & voluntatem suam humano generi patefecit: idq; nunc immediatè, nunc mediatè.

X. Immediatè locutus est cum primis parentibus, ante & post lapsum, Gen. 2, v. 16. & 17. 3, v. 9. & seqq. Cum Noah. Gen. 6, v. 13. & 7, v. 1. & 8, v. 15. & 9, v. 1. Cum Abrahamo, Genes. 12, 7. Cum Isaaco, Gen. 26, v. 2. Cum Iacobo, Gen. 28, v. 13. Cum Mose Exodi 3, v. 4. & seqq. Cum Salomone 1. Reg. 3, v. 5. & similibus alijs, quorum exempla in historia veteris Testamenti passim sunt obvia.

XI. Idq; vel facie ad faciem: Gen. 2, v. 16. Exodi 33, 11. vel sub imagine Angelica, aut humana specie, Gen. 18, v. 2. 19, v. 1. 32, v. 23. vel per visiones tam diurnas, quam nocturnas: vel etiam per somnia, Num. 12, v. 6. & 7. Me-

XII. Mediàtè verò Verbum hoc suum per Adamum primum quasi primi seculi Episcopum, Noam Iustitiæ præconem, Semum, Abrahamum ejusq; posteros, viva voce proponi, propagari, & quasi per manus posteritati tradi curavit.

XIII. Cum verò divina placeret providentiæ, ut verbum hoc non amplius viva vocis traditione, sed scripto conservaretur, ac propagaretur, 1. Quod non eadem esset posterorum longevitas, quæ Patriarcharum, qui suo testimonio possent doctrinam cælestem asserere: 2. Nec idem memoriæ vigor: 3. Major autem mundi malitia & improbitas: 4. Et deniq; ut longius latiusq; tempore Novi Testamenti spargeretur: eamq; ob causam DEVS ipse scribendi initium sua manu faceret, Exodi 31, v. 18. Deuteron. 9, v. 11. & Mosi ut scribendo pergeret, mandaret, Exodi 34, v. 27. non inconvenienter quoq; SCRIPTURÆ appellationem idem hoc principium nostrum obtinet.

XIV. Sunt ergo realiter unum, & idem, VERBUM DEI & Scriptura sacra: licet externo accidente prædicationis & scriptionis distinguantur; ut nihil planè præsidij commenticia illa pontificiorum distinctio, de reali differentia verbi prædicati & scripti, hinc sperare possit.

XV. Sed & SACRA dicitur hæc SCRIPTURA, tum ab auctore, quo gaudet, sancto illo sanctorum, Spiritu Sancto, 2. Tim. 3, v. 16. 2. Petr. 1, v. 20. tum à materia, quam tractat, verè sacra illa & divina: tum deniq; à fine & effectibus, quia facit homines sanctos, Ioh. 17, v. 17. & vitam adfert æternam. Vnde & Verbum vitæ dicitur, Iohan. 6, vers. 68. Actor. 5, v. 20.

XVI. CANONICA verò etiam appellatur: 1. quia normam continet & regulam omnis doctrinæ de fide & moribus: 2. quia Canon erit extremi iudicij, juxta quem universus mundus in die novissimo judicabitur, Dan. 7, v. 10. Iohan. 12, v. 48. Rom. 2, v. 12. & 16.

XVII. Quæ appellatio à funiculo seu amussi edifican-

ium sumpta est. Ut enim hi ad certam quandam regulam, structuram omnes dirigunt & examinant: ita fideles Ecclesie ministri, spirituales architecti domus DEI viventis, qua est Ecclesia. 1. Tim. 3. v. 15. hac scriptura amissi in extruendo Ecclesie edificio utuntur, ad eamq; totam fidei structuram accommodant: ita quidem, ut quicquid ad hunc Canonem congruit, Propheticum & Apostolicum, hoc est, verum & orthodoxum: quod ab eo dissentit, supposititium, falsum ac haeticum, censeatur.

XVIII. Hinc à regio vate, Apostolo interprete Rom. 10. v. 18. doctrina Apostolorum seu Canon & regula dicitur, Psal. 119. v. 5. nec infrequens τὸ ἡγρόν & pro doctrina Apostolica apud Paulum usus est, 2. Corinth. 10. v. 13. & 15. Gal. 6. v. 16. Philip. 3. v. 16.

XIX. Errant ergo Pontificij, qui Canonicam dici scripturam putant, vel quod Canonica auctoritas illi per Concilij alicujus Canonem tributa sit: cum tamen nullum fide dignum concilium proferre possint, quo Canonica illa scripturae auctoritas primitus constituta sit: vel quod eandem Ecclesia tali auctoritate dignam judicavit: seu, ut illi loquuntur, Canonizavit. Testimonium de Scriptura Canonica Ecclesia haud inviti tribuimus: Canonizationem minimè.

XX. Patres in ea describenda varijs utuntur nominibus. Augustinus in Psalm. 90. vocat eam Epistolam Creatoris ad suam creaturam: & in sermone 39. ad fratres in Eremito: Sapientiam sapientiarum. Hieronymus in Epistola ad Magnum Oratorem, eam Herculis clavam appellat, cujus nempe usus sit Christianis ad domanda quævis monstra errorum & haesum. Gregorius, Fluvium in quo agnus peditat, & elephas natat: apud alios alia reperiuntur nomina. Hactenus definitum, Unde talis colligitur Definitio.

XXI. Scriptura sacra seu Verbum DEI est doctrina, de DEI essentia, operibus ac voluntate, à DEO ipso
genc-

vide Chem
nit part. 1.
Exam. de scri-
ptura Can.
Et Disput.
Iac. Gor.
doni Ies.
Vienn. ha-
bitam, an-
no 1572.
thesi 2.

generi humano primum patefacta; & postea à Prophe-
tis, Evangelistis & Apostolis, Spiritus sancti afflatu, in
usum nostrum certis libris tradita & perscripta: ut per
eam plene perfectèq; in doctrina & moribus instituti, &
ad agnitionem Christi Mediatoris perducti, salutem æ-
ternam consequamur.

XXII. *Quæ definitio tale nobis $\mu\epsilon\tau\epsilon\sigma\tau\alpha$ suppeditat*
Cum scriptura hæc sacra solum DEVM auctorem agnoscat,
& à Spiritu Sancto certis hominibus inspirata sit, eam alibi,
quam in Prophetarum & Apostolorum scriptis quærendam
non esse: nec præter hanc ullum aliud esse Religionis Christia-
næ principium.

XXIII. *Continentur autem libri Prophetici & Aposto-
lici volumine unico, quod $\kappa\epsilon\tau\iota$ $\epsilon\zeta\chi\eta$ BIBLIA vocamus:*
Siquidem omnium sapientissimorum ac doctissimorum homi-
num scripta rerum dignitate & auctoritate longissimè supe-
rat & antecellit.

XXIV. *Ceterum an omnes libri volumine biblico com-
prehensi, sint Prophetici & Apostolici, & pro principio Chri-
stianorum dogmatum habendi, questionis est: ad cujus explica-
tionem ut tantò commodius perveniamus, distinctiones aliquot
librorum biblicorum præmittenda videntur.*

XXV. *Hi enim primò pro diverso Ecclesiæ statu, & tem-
poris quo scripti sunt ratione, in Veteris & Novi Testamenti,
seu, ut Augustinus nominat, Instrumenti, libros dividuntur: di-
scrimine jam Paulo usitato: 2. Cor. 3. v. 14.*

1 Divisio
librorum
biblico-
rum.

XXVI. *Deinde cum DEVS libros hosce non imme-
diatè digito proprio exaraverit, sed ministerio organorum,
seu amanuensium suorum, Prophetarum & Apostolorum usus
sit: hinc respectu horum auctorum distinguuntur in Prophe-
ticos & Apostolicos: quod vel ipsi eosdem scripserint: vel te-
stimonio suo Ecclesiæ commendarint.*

2.

Tertium

3.

XXVII. Tertium discrimen à materia sumitur. Et hujus ratione libri veteris Testamenti alij dicuntur Legales: alij Historici: alij Didactici: alij Prophetici: licet pleriq; omnes mixti sint: & cum historia, doctrinas, exhortationes, & vaticinia complectantur.

XXVIII. Hebræi Christum imitati, Luc. 24, v. 44. libros veteris Testamenti materia ratione tripliciter dividunt: In Mosen seu Legem, Prophetas & Psalmos.

XXIX. Per Mosen, libros intelligunt Mosaicos, qui una voce Thora seu lex appellantur: à parte materiae præcipua, quæ sacrorum ritus, & veteris politia statuta continet: hæc pars à numero librorum Græcis dicitur πεντέτευχος.

XXX. Prophetas Hebræi dixerunt omnes libros, à Mose usq; ad psalterium: & hos rursus distribuerunt in priores & posteriores. Nominè priorum Prophetarum, quos vocarunt Nebijm Roschonim, intellexerunt libros eos quos historicos antea appellavimus, quamvis non omnes: sed tantum librum Iosua, Iudicum, libros Samuelis & Regum. Nebijm Acharonim seu posteriores Prophetas dixerunt, Iesaiam, Ieremiam, Ezechielem & XII. minores Prophetas quos in unum volumen compositos olim fuisse, ex Actis cap. 7, v. 42. non obscure colligitur.

XXXI. Sub psalmis reliqua scripta omnia complectuntur, quæ Hebræi chethubim, Græci à ἁγία γραφή nominare solent, voce generali, quod videlicet sancti libri sint, & à sanctis viris, de rebus sacris scripti. Ad horum classem referunt, Iobum, Psalterium, proverbia seu parabolas Salomonis, Ecclesiasten, Canticum Cantorum, Paralipomena, libros Esdra & Nehemia, Esther, Ruth, Threnos Ieremie & Daniele.

XXXI. Novi Testamenti libri ex parte materiae dividuntur in Evangelicos seu Historicos: quò pertinent quatuor Evangelistarum scripta, & Acta Apostolorum: quorum illis Christi, his Apostolorum historia descripta continetur: Epistolares, quo Epistola Apostolica referuntur: & Propheticum unum
Apoca.

Apocalypsin scilicet : quæ sic dicitur, quod de statu Ecclesie futura vaticinetur.

XXXIII. Porrò cum præter enumeratos libros, & alij in biblico volumine reperiantur, qui parem cum illis auctoritatem non habent, cum, dicente Augustino lib. 15. de Civit. DE I cap. 2, occulta eorum origo patribus non claruerit, à quibus usq; ad nos veracium scripturarum auctoritas certissima & notissima successione pervenit : Hinc quarta & ultima librorum Biblicorum enascitur distinctio, ab eorundem auctoritate circa fidei dogmata constituenda & probanda, ac regendos mores petita. 4.

XXXIV. Hac enim cum dissimilis sit, ideo alij Canonici, alij Apocryphi appellantur.

XXXV. CANONICI dicuntur, qui Canonem, hoc est, normam, amussim & regulam omnis doctrina de fide & moribus continent : quiq; Prophetica & Apostolica auctoritate Ecclesia commendati, & universali ejusdem perpetuoq; consensu recepti & approbati sunt.

XXXVI. Tales sunt in veteri Testamento: quinque libri Moysi, Iosua, Iudicum, Ruth, duo Samuelis, duo Regum, duo Paralipomenon, duo Esdra, Esther, Iob, Psalterium, Proverbia, Canticum Canticorum, Esaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel, Oseas, Joel, Amos, Obadias, Ionas, Micheas, Naum, Habacuc, Sophonias, Haggæus, Zacharias, Malachias.

XXXVII. Canonici Novi Testamenti hi sunt : Evangelium Matthæi, Marci, Lucæ, Iohannis: Acta Apostolorum: Epistola Pauli, ad Romanos una, duæ ad Corinthios, ad Galatas una, ad Ephesios una, ad Philipenses una, ad Colossenses una, ad Thessalonicenses duæ, ad Timotheum duæ, ad Titum una, ad Philemonem una. Prior Petri, & prior Iohannis.

XXXVIII. APOCRYPHI libri (quæ vox Græca absconditum seu occultum significat) dicuntur, de quorum auctoribus in Ecclesia primitiva dubitatum fuit, quiq; examinati ad

B

lib: 4.
Orb. fid.
cap. 18.

nati ad scripturæ Canonem, pro divinis ab Ecclesia prisca agniti non fuerunt, sed visi sunt potius humano quam divino spiritu conscripti, ideòq; nec in capsam sive arcam Ecclesiasticum cum superioribus sunt repositi: quia tamen, (ut Amalceus loquitur) omnium virtutum doctrina refert sunt, lectio quidem eorum in Ecclesia concessa fuit (unde & Ecclesiastici à nonnullis dicuntur) ad confirmationem verò Ecclesiasticorum dogmatum & articulorum fidei minimè sunt adhibiti. Hieronymus præfat. in Proverbia.

XXXIX. Hujus ordinis in Veteri Testamento sunt cum integri quidam libri, tum quorundam Canonicorum appendices.

XL. Integri libri novem sunt. Tertius videlicet ac quartus Esdræ, Tobias, Judith, Sapientia, Syracides apud Latinos Ecclesiasticus dictus $\alpha\gamma\lambda' \epsilon\zeta\omicron\chi\eta\nu$, quod inter hos libros, quos ab alijs communi vocabulo Ecclesiasticos nominari diximus, præcipuè emineret) & tres Maccæorum libri.

XL I. Appendices sunt septem, 1. Oratio Manassis subjuncta libris Paralipomenon. 2. Supplementum Esther, quod incipit capite 10. v. 4. & capitibus septem absolvitur. 3. & 4. Accessiones ad Ieremiam, quæ sunt Baruch, & epistola Ieremia. 5. Adjectiones ad Danielelem, in cap. 3. Hymnus trium puerorum in camino ardente. 6. cap. 13. historia Susanna. 7. cap. 14. historia Belis & Draconis.

XL II. Ex Novo Testamento huc referimus Epistolam ad Hebræos, posteriorem Petri, secundam & tertiam Iohannis, Iacobi, Iudæ, & Apocalypsin.

XL III. Atq; de his Apocryphis utriusq; Testamenti (exceptis tamen in veteri Testamento Oratione Manassis, 3. & 4. Esdræ, & tertio Maccæorum, quos ipsi quoq; Pontificij pro Apocryphis habent & rejiciunt) quæritur, an & illi cum antè recensitis libris Canonicis, sint Prophetarum & Apostolorum libri, & consequenter principium Christianæ religionis constituent.

Beilarm.
lib. 1. de
verbo Dei
cap. 20.

Pro

XLIV. Pro affirmativa τὴ ἀποκρίσις obtinenda, tanquam pro aris & focis decertant Pontificij: & secus statuentes Concil. anathematis fulmine terrent. Nos contra negativæ suffragamur, & inania bruti illius fulminis terriculamenta floccipendentes, prius improbamus.

XLV. Ac primum quidem contra Apocrypha veteris Testamenti ita concludimus: Quicumq; veteris Testamenti libri, 1. non sunt scripti à Prophetis, 2. nec Idiomete Prophetico. 3. Nec ab Hebræorum Ecclesia recepti. 4. Nec fidei analogia ac veritatibus historica consentanei. 5. Nec deniq; Christi & Apostolorum autoritate confirmati, q̄ Canonicoꝝ librorum titulo jure gaudere non possunt. At tales sunt libri, thesi 40. & 41. recensiti. Ergo nec pro Canonicoꝝ, multò minus pro Christianæ religionis principio reputandi sunt.

XLVI. Major quæ ἡ ἀποκρίσις seu notas Canonicoꝝ librorum veteris Testamenti precipuas continet, Primum autoritate Apostolica nititur. Paulus enim Rom. 16. v. 2. & eundem imitatus Petrus, 2. Petr. 1. v. 19. Scripturam veteris Testamenti Propheticam appellant: & Abraham de Canonica veteris Testamenti scriptura loquens, ait: Habent Mosen & Prophetas. Luca 16, v. 39. Similiter & Lucas cap. 24. v. 27. cum dixisset Christum exorsum esse à Mose & omnibus Prophetis, mox subdit: interpretabatur eis in omnibus scripturis ea, quæ de ipso scripta erant: apertè indicans, Mose & Prophetis omnem scripturam Canonicam veteris Testamenti contineri.

XLVII. Lingua deinde Prophetica libros omnes Canonicos scriptos esse: & à Iudæis tanquam custodibus receptos & asservatos, (qui & propterea Christianoꝝ scriniarij seu bibliothecarij ab Augustino dicuntur) idem Apostolus Rom. 3. v. 2. comprobat: inquit, Iudæis esse credita Dei eloquia: quicumq; ergo libri à Iudæis asservati non sunt: Canonici esse non possunt.

XLVIII. Porro quod Canonicum seu norma alicujus rei esse debet: id ne à seipso dissentiat necessum est.

XLIX. Cumq̄ in *V. Testamento* comprehendatur scriptura, qua de Christo testatur, Iohan. 5. v. 39. semperq̄ Christus & Apostoli auditores suos ad eam remittant: Sequitur illa tantum scripta veteris Testamenti ab ipsis pro authenticis & Canonicis esse reputata, ad qua in suis concionibus & scriptis provocarunt, & ex quibus testimonia ipsi produxerunt. Quomodo a. libri veteris Testamenti penè omnes sint à Christo vel Apostolis in novo Testamento citati, eaq̄ citatione pro Canonicis & indubitat is agniti, in eo demonstrando utilissimam Ecclesia operam navavit, perpetuâ memoriâ ob praeclarissima in Ecclesiam merita dignissimus Theologus D. Aegidius Hunnius in *Examine primæ controversiæ Bellarmini lib. 1. cap. 4.*

L. Assumpti probationes hæc sunt. 1. Quia nullum istorum librorum à Propheta quopiam scriptum esse, vel inde constat: quod pleriq̄ illorum auctorum post Malachiam, omnium confessione Prophetarum ultimum, vixerunt. 2. Idiomate autem Hebræo, quod est fuitq̄ Prophetarum proprium, eos conscriptos non esse, res ipsa loquitur. 3. Sed nec ab Hebræorum Ecclesia eos unquam receptos fuisse, præter totam antiquitatem, ipsi etiam adversarij quantumvis inviti testantur: Cajetanus in fine commentariorum in historiam veteris Testamenti: Bellarm. lib. 1. de Verbo DEI cap. 10. in princip. 4. In singulis autem ferè aliquid vidè Bell. reperiri, quod fidei analogia ac veritati historica repugnet, adeo lib. 1. de est evidens, ut ipsi etiam adversarij summopere in conciliandis verbo Dei discrepantijs varijs desudent, sed ita ut lectori minimè satisfaciant. 5. Deniq̄ cum nullum in Novo Testamento à Christo aut Apostolis ex hisce libris adducatur testimonium, evidentissimum evadit, eos pro idoneis Christi testibus, à Christo & Apostolis minimè fuisse habitos, multoq̄ minus pro principio dogmatum religionis agnitos.

L I. Ad Apocryphos a. Novi Testamenti libros quod attinet, etsi eos tam rigidè ut veteris Testamenti apocryphos à Canonicis non separamus, siquidem illa his semper prevaluerunt, imò
parem

parem propè scripturis Canonicis fidem obtinuerunt: quemadmodum de Epistola Iacobi in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum ait Hieronymus: tamen quia in primitiva Ecclesia de illis à nonnullis dubitatum est, non inconvenienter eos ab illis, de quibus nunquam est dubitatum, distinguimus.

LII. Non autem omnium eandem de ijs fuisse sententiam, antiquitatis monumenta perscrutantib. obscurū esse non potest.

LIII. Epistolam certè ad Hebræos destitutam esse concordia testificatione primitiva Ecclesia, docet Eusebius, lib. 3. cap. 3. & apud eundem lib. 6. cap. 24. hac Origenis verba citantur: Epistolam ad Hebræos quis scripserit, Deus novit. Cui & Hieronymus astipulatur, in Epist. ad Paulinum ita scribens: Paulus Apostolus ad septem scribit Ecclesias: Octava n. ad Hebræos extra numerum ponitur. Et in Catal. scriptorum Ecclesiasticorum ait: Epistola, qua fertur ad Hebræos, non ejus (Pauli) creditur, propter styli sermonisq. distantiam. Idem scribit in cap. 8. Esaiæ.

LIV. De reliquis, Eusebij sufficiat testimonium. Sic verò is, lib. 3. c. 25. Quibus, inquit, Novi instrumenti scriptis contradicitur, tametsi multis sint cognita, sunt hæc: Epistola qua Jacobo tribuitur: & Epistola Iudæ: & posterior Petri: & altera cum tertia Iohannis. Et paulò post de Apocalypsi Iohannis ait: Apocalypsin nonnulli reprobant, alij verò certis & indubitatis scripturis adjudicant.

LV. Quando ergo propter Apocrypha Novi Testamenti scripta hæresicos dicam Luthero ejusq. discipulis scribunt Papiæ: non tam ipsos quàm piam antiquitatem sugillant & condemnant.

LVI. Quod a. Augustini autoritatem nobis objectant adversarij, qui omnes universim libros, quotquot volumine biblico continentur (exceptis tamen tertio & quarto Esdræ, & tertio Maccabæorum) Canonicos esse scribit: eo certè objecto faciunt, ut dum multa se intelligere videri volunt, nihil intelligant.

lib: 2. de doctrina Christi
c. 8.

B. 3.

Ideoq.

LVII. Ideoq; ipsos ad Reverendissimum patrem Cardina-
lem Cajetanum remittimus : qui loco nuper allegato nostrae par-
tes suscipiens ita nodum hunc solvit : Ne turberis novitie,
si alicubi reperies, libros istos (puta Apocryphos) inser
Canonicos supputari, vel in sacris concilijs, vel in sacris
doctoribus: Nam ad Hieronymi limam reducenda sunt
tam verba conciliorum quam doctorum: ut juxta illius
sententiam ad Chromatium & Heliodorum Episcopos
libri isti (& si qui alij sunt in Canone bibliae similes) non
sunt Canonici, id est, non sunt regulares ad firmandum
ea, quae sunt fidei: possunt tamen dici Canonici, id est, re-
gulares ad aedificationem fidelium: utpote in Canone bi-
bliae ad hoc recepti & authorati.

LVIII. Canonicum ergo dupliciter dici Cajetanus quoq;
animadvertit: vel id quod in Ecclesia tanquam morum Canon
legitur: vel id, quod est morum simul & fidei Canon & regula.

LIX. Priori sensu omnes libros biblicos Canonicos dici
posse cum Cajetano non negamus: quia multa egregia morum
praecepta ad aedificationem fidelium in ijs continentur. Postero-
ri minimè. Augustinum a. in prima seu latiori significatione
vocem in Canonicum accepisse vel inde patet, quod secundum
librum Maccabaeorum, quem loco citato Canonicum vocat: a-
libi (lib. 2. contra Gaudentium cap. 23. Tom. 7.) non habe-
re auctoritatem cum Lege, Prophetis & Psalmis, sed legi tax-
tum in Ecclesia propter quorundam martyrum Passiones, diser-
tè testetur. (lib. 12. de Civitate DEI cap. 36. Canonicum
ergo Augustino hic idem esse, quod Ecclesiasticum, nemo

Sicut se non videt.

LX. Observarunt vero hoc etiam alij quidam ex doctio-
ribus Pontificijs: ac propterea libros biblicos ita distinguunt:
ut alios dicant Protocanonicos, alios Deuterocanonicos. Illi sunt
qui ab omnibus, hi qui non ab omnibus Ecclesijs sunt recepti: Illi
verè Canonici: hi Apocryphi: Illi Canonici sunt ex DEO
& se-

& secundum esse, ut loquuntur: hi Canonici sunt ex hominibus,
& secundum dicitantum.

LXI. Quae praeterea adversarij pro tuenda sua opinione
& apocryphorum scriptorum Canonizatione objicere solent, alibi
partim a nobis sunt explicata: partim explicabimus, juvante nos
DEO, plenius in ipso disputationis actu.

DE AUCTORITATE SCRIPTURÆ.

LXII. Constituto jam religionis Christiana principio &
determinatis ejusdem limitibus, sequitur, ut de auctoritate hujus
nostri principij pauca dicamus.

LXIII. Auctoritatis autem nomine Ius & dignitas
talis intelligitur, propter quam scriptura Canonica pro certo &
infallibili verbo DEI, & religionis Christiana principio habetur:
sic ut illa sola sit norma & mensura fidei & religionis.

LXIV. De hac non tam queritur, An sit: vel an ta-
lem auctoritatem scriptura habeat: Siquidem cum sit Jeováev-
s& , cum sit Prophetica & Apostolica, divinissimam & maxi-
mam ejus auctoritatem esse, nemo sanae piæq; mentis ambigit.

LXV. Sed controversia cum Pontificijs cardo consistit in
questione de causa efficiente: Vnde nam tantam auctoritatem
scriptura obtineat: seu unde nobis constare possit, & quibus testi-
monijs certi esse possimus, à DEO dictata esse Prophetica & Apo-
stolica scripta, & consequenter esse Canonica.

LXVI. Pontificij contendunt omnem scriptura certitu-
dinem & auctoritatem pendere ab auctoritate Ecclesia sive Ro-
mani Pontificis: usq; adeò, ut hac remota, pro verbo DEI à nobis
neq; debeat, neq; possit agnosci.

LXVII. Hinc pulchella illorum (si Dijs placet) emble-
mata passim leguntur. Ecclesiam habere illam potestatem,
quod possit scriptis quibusdam Canonicam impertiri au-
ctoritatem, quam nec ex se, nec ex auctoribus suis habent.
Alb. Pighius lib. 1. de Hierarch. Eccl. cap. 2. Omnium dogma-
tum firmitatem pendere ab auctoritate præsentis ecclesiae.

Bellarmin.

*Bellarmin. lib. 2. de Sacram. cap. 25. Scripturas Ecclesiæ de-
stitutas auctoritate, plus non valere, quam fabulæ vale-
ant Æsopicæ: quæ impudentissima & fulmine digna vox im-
pudentissimi cujusdam scurræ, ab Hosio Cardinali tanquam pia
& Christiana defenditur lib. 3. de auct. scriptur. contra Bren-
tium. Item: Illi libri biblici pro verbo DEI à nobis agnosci
debeant & possint, unicam causam esse Ecclesiæ testi-
monium & mandatum. Pistorius Jm Wegweyser/ pa-
gin. 2. 3. & 6.*

*LXVIII. Contrà verò Ecclesia Augustano Symbolo
addicta, credunt & confitentur: In ipsis scripturis esse di-
vinam auctoritatem, propter quam omnino illæ pro ἱε-
ρωσύνης agnosci ac haberi debent: cujus assertionis ver-
tas his nititur fundamentis.*

*LXIX. Primò quia divina quaedam virtus & efficacia
inest scripturis ipsis, quæ mentes nostras ad se rapit, nec ad au-
res modò, sed ipsum usq; animum, & ad intimos cordis recessus pe-
netrat. Luc. 24. v. 32. I. Corinth. 2. v. 4. Hebr. 4. v. 12.*

*LXX. Secundò, quia Christus ipse non minorem scriptu-
ra quàm sibi ipsi auctoritatem tribuit. Iohan. 5. v. 47. Si Mosai-
cis literis non creditis, quomodo verbis meis credetis?*

*LXXI. Tertiò, quia Berrhoenses audito Paulo, ejus do-
ctrinam non ad alicujus Ecclesiæ judicium, sed ad scripturæ a-
musum exegisse legimus. Act. 17. v. 11. & Thessalonicenses
Paulo tantum audito scripturæ doctrinam tanquam divinam
& ἀπὸ τοῦ θεοῦ receperunt & amplexi sunt, I. Thess. 2. 13.*

*LXXII. Ipsa ergo Scriptura per se omnem sibi fidem au-
toritatemq; conciliat. Idq; cum causæ efficientis, DEI, ratio-
ne: ex cujus ore ea primum profecta, cujusq; jussu & mandato
predicata, & postea in literas redacta est. Vnde & liber Ieho-
væ appellatur. Esaiæ 34. v. 16.*

*LXXIII. Tum ratione causæ Instrumentalis: Prophetarum
sc. Apostolorum: ab his enim immediate ad opus id scriptio-*

nis

nis sacra à DEO vocatis, & infallibilibus testimonijs, quod errare non possunt, ornatis, non potuit non divinum aliquid proficisci & scribi: maxime cum quidquid ad scripturae editionem impenderunt, id omne non ut autores, sed ut amanuenses & exscriptores contulerunt.

LXXIV. Vnde Sanctus Ambrosius Tom. 5. in explic. proemij Lucae super hac verba. Quoniam multi conati sunt ordinare narrationem rerum, &c. Non conatus est, inquit Matthaeus, non conatus est Marcus, non conatus est Iohannes, non conatus est Lucas, sed divino Spiritu ubertatem dictorum rerumq; omnium ministrante, sine ullo molimine coepta compleverunt.

LXXV. Ut autem talis qualis in se est scriptura, à nobis quoq; agnoscat: id primum & πρῶτος interna sua testificatione Spiritus DEI in nobis efficit: intus in corde nobis testificans, idq; movens, flectens, & mirifica quadam ἀνεσφορσία confirmans, ut credamus hoc verbum esse DEI verbum. Quae tamen testificatio non est ἀποστολική aut ἀγγελική revelatio, sed verbi scripti in cordibus nostris obsignatio. Esaiæ 59. v. 21. Rom. 8. v. 16. 1. Corinth. 2. v. 11. & 15. 2. Cor. I. v. 21. & 22. Eph. 1. v. 13. 1. Thess. 2. v. 13. 1. Iohan. 2. v. 20. & 5. v. 6. Spiritus est qui testificatur, Spiritum (doctrinam à Spiritu sancto traditam) esse veritatem.

LXXVI. Accedunt deinde multa & evidentia divinitatis scripturarum sacrarum argumenta, quae partim scripturae ipsi impressa, partim foris adjuncta sunt: quibus ab alijs prophanis libris distingui possunt: quaeq; conscientias hominum fateri cogunt, hanc scripturam divinitus esse traditam.

LXXVII. Cujusmodi sunt I. Antiquitas, tam quoad materiam seu doctrinam: tam quoad scripturam. 2. Doctrinae genus: sive rerum, quae scripturae sacrae continentur, sublimitatem & excellentiam: sive dicendi formam & characterem, simplicem illum quidem, sed res magnas explicantem: sive deniq; effectum

C

effectum ejus in animis hominum se exerentem consideres. 3. Pulcherrimus ille & suavissimus consensus Veteris & N. Testamenti, omniumq; utriusq; Testamenti librorum. 4. Summa ejusdem ad refellendas hereses sufficientia & perfectio. 5. Vaticiniorum cœritudo & complementum. 6. Stupenda miracula, præter, supra & contra omnem naturam, non in occulto angulo, sed in clara hominum luce edita: quibus tota scriptura est plenissima. 7. Miranda tum scripturæ tum Ecclesiæ conservatio. 8. Immane odium Satana & impiorum hominum adversus scripturæ hujus doctrinam: cum interim alias doctrinas quantumvis absurdas & impias tolerare possint. 9. Multitudo sanctorum testium, qui sanguine suo hanc doctrinam confirmarunt. 10. Vniuersi orbis, omniumq; populorum, tam piorum, quam impiorum testimonium: & sexcenta alia, quæ latere lubentes jam patimur.

LXXVIII. Tandem his argumentis tertio loco primitivæ Ecclesiæ testimonium adjungimus, quippe quæ Prophetarum & Apostolorum ἀπόστολα habuit, eaq; succedenti Ecclesiæ commendavit, quæ deinceps istorum fidelis Custos, Asservatrix & Vindex extitit, suoq; testimonio, tanquam per manuum traditionem ab Apostolis ipsis accepta, omnibus porro commendavit.

LXXIX. Minimè ergò Ecclesiæ auctoritatem omnem rejicimus, ut falso nos traducunt Pontificij, sed reverenter amplectimur, & cum Augustino fatemur, commoveri nos auctoritate veræ & Catholicæ Ecclesiæ, ut Evangelio credamus: Vocabulo Evangelij pro libris Evangelicis accepto: ut sensus sit: auctoritate Ecclesiæ nos permoveri, ut libros istos esse Evangelicos, hoc est, divinitus per Evangelistas & Apostolos conscriptos credamus.

LXXX. Verum illa auctoritas non est causa efficiens, sed tantum testimonij, quod ad rei constitutionem nihil conferre, vel ex Logicis notum est. Nequaquam enim Ecclesiæ suo testimonio auctoritatem scripturæ confert, sed tantum de collata testificatur. Et

contra Ep
Fundamen
ti cap. 5.


LXXXI. Et distinguendum hic diligenter est inter assensum duplicem. Ut enim assentiar historicè, hæc scripta esse Prophetarum & Apostolorum, id fit ex testimonio Ecclesiæ: Ut verò assentiar cum $\pi\lambda\eta\sigma\phi\omega\epsilon\iota\alpha$, id non acceptum ferendum est Ecclesiæ, sed potius interne operationi & testimonio Spiritus sancti, ejusq; infallibili verbo.

LXXXII. Nec juvat adversariorum morbidam causam Stapletonus, ubi scribit, Ecclesiæ testimonium esse tamen quodammodo divinum. Nam 1. ad sancientiam immotam certitudinem scripturæ in cordibus nostris, non sufficit testimonium quodammodo divinum, sed necessarium est merè divinum. Deinde testimonium merè divinum majus est & prestantius quodammodo divino. At scripturæ testimonium merè divinum est, quia est solius DEI testimonium: Ecclesiæ quodammodo divinum: ex hypothese Stapletoniana. Ergo testimonium scripturæ majus est testimonio Ecclesiæ.

LXXXIII. Secus si esset, & scripturæ ex adversariorum sententia propter solam Ecclesiæ sive Romani Pontificis auctoritatem, pro verbo Dei nobis habenda essent: Sequeretur 1. falsam esse Christi assertionem, Ioh. 5. v. 34. Ego testimonium ab hominibus non accipio: Apostoli item Ephes. 2. v. 20. dicentis, Ecclesiam esse extructam super fundamentum Prophetarum & Apostolorum. 2. Fidei nostræ certitudinem humano tantum nitenti testimonio. 3. Ecclesiam esse principium Theologiæ: & deniq; effectum esse causam suæ causæ, seu matrem filia suæ filiam: quæ partim nil nisi Antichristianum sapiunt: partim totius naturæ ordinem mira metamorphosi invertunt.



F I N I S.





63. *Affirmativa verò, quam nos, duce Scribitur primò Auctoritate Christi, qui omnes a discrimine, scripturas scrutari jubet, Jef. 5. 39. & Laicis certè, mandatur, ut audiant Mosen & T. v. 29. Atqui audire eos nisi in scripturis loquète pturas ergo legere hoc mandato jubentur.*


64. *Accedit deinde ipsius Dei apud Esa Pauli consensus. Sic enim Esaias, cap. 34. v. 16, a domini & legite. Et Paulus Coloss. 3. v. 16. tota gulos in ea fideles hortatur, dent operam ut ver ter in illis habitet: Et de Lectione expressè inq. LECTA fuerit apud vos epistola hac, facite, ut Ecclesia legatur, & eam quæ ex Laodicea est*

65. *Tertiò. Non sunt adimenda homini quibus se contra Satanæ insultus munire debe lectum, meditatum, auditum, est gladius ille versus Satanam. Matth. 4. Ephes. 6. v. 16. & adimendum Christianis, nec hi ab illius lectio.*

66. *Confirmant idem quarto loco exempla stamenti. In Veteri pralucent nobis pij Reges, saphat, Iosias; &c. qui non tantum legem scribendo illustrarunt: Unde & Psalmo 119. à Necessario, Vili, jucundo, commendat Da chus Regina Candaces etjam in itinere lectio recreat. Act. 8. v. 28. quod & nobilissimos illos testatur Lucas Act. 17. v. 11.*

67. *Eadem deniq; est patrum quoq; Orti ex quib Chrysostomum audivisse sufficiat. Sic Coloss. & Homil. 13. in Iohannem: Audite, seculares & uxori & liberis præstis, quomodo datis scripturas legere, nec leviter & n gno studio.*

68. *Durai vero objectum quod atinet*



the scale towards document

imus:
um di
lonis,
ca 16.
t: Scri
um ac
n libro
& sin
ndan
. Cum
sum
atis.
na illa,
DEI
ant ad
non est
vi Te
pon, Io
sed &
mibus
Eunu
acra se
ctitasse
tentia,
m. 9. ad
uot estis
in man
ed ma
lacia ex
quase